Mahrholz
Lane Medical Library

DE CHLOROSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. M. MARTII A. MDCCCLXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS AUGUSTUS LUDOVICUS MAHRHOLZ

SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

L. BECKER, MED. ET CHIR. DD.
R. SALZMANN, MED. ET CHIR. DD.
G. KOERTING, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

National Library

VIRO

HUMANISSIMO CLEMENTISSIMO REVERENDISSIMO

OTTONI

COMITI NOBILISSIMO STOLBERGO-WERNIGERODAE DOMINANTI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO ET DEVOTISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Chlorosis, morbus quidam sexui muliebri maxime proprius, qui praecipue eo tempore, quo muliebria genitalia maturescunt, exsistere solet, et tum pertinacia et magna ad recidivam inclinatione, tum longinquis morbis inde ortis naturae, tenerae praesertim puellae, maximo solet esse periculo, nomen traxit e graeca lingua, a vocabulo „χλωρός, pallidus", sive a „χλωραίνω, galbanum, pallidum reddere" significante. Et est quidem hominibus chlorosi affectis color galbanus; pallor autem superat et, cum gilvus sit pallor, fortasse melius diceretur ille morbus „ὄχρωσις". Attamen vocabulum „χλώρωσις", quum semel sit receptum, alio non removebitur. False etiam dictus est hic morbus icterus albus; chlorosi autem nihil prorsus commune est cum ictero. Horum enim morborum et notae et causae tam diversae sunt, ut notio ista icteri albi ne ulla quidem ratione defendi possit. Febrem etiam albam sive amatoriam hunc morbum appellaverunt viri docti, in quo tamen febris non solum non gravis est, sed etiam plerumque omnino abest, ut haec etiam vocabula prorsus sint rejicienda. Febrem autem amatoriam viri docti illum morbum dicebant, quod putabant, puellas praecipue amore incensas et libidinosas eo corripi. Sed hoc etiam vocabulum omnino non quadrat in rem. Aliae praeterea notiones aliis quidem maxime verbis notionem chlorosis in universum usitatam significantes, ut exemplis utar, hae sunt: Cachexia chlorotica, cachexia virginum, pallor virginum. Baillau nomen etiam

ei indidit „Foedorum colorum“, Sydenham „Pallidorum colorum“, Tissot „Opilations“, Sennert „morbi virginei“. Ac multa praeterea sunt nomina, quae nullius momenti sunt et non nisi vocabula artis augent. Nos quidem vocabulo „chlorosis“ ab omnibus accepto utemur.

DE CHLOROSIS NATURA.

Jam quidem, quod pertinet ad chlorosis naturam, diversissimae feruntur sententiae; in eo tantum omnes fere consentiunt, apertam esse et expressam cachexiam.

Quae quidem cachexia, ut equidem arbitror, nascitur ex aegrotatione quadam praecedente, quae originem ducit e nervis, quae eadem aliquamdiu latere et tum demum causis quibusdam, nutrimento maxime angusto atque inopi adducta, exoritur.

Est igitur chlorosis cachexia chronica, certis quibusdam notis designata, quae sunt pallor gilvus, membranae colori similis, atque oris color subviridis, siccitas et resolutio quaedam cutis, algor extremitatum pedum maxime et manuum, virium prostratio ac totius corporis infirmitas, perturbationes et digestionis et organorum circulationis sanguinis et pracipue catameniorum, quod ultimum symptoma notat maxime morbum. Ac sine exceptione fere chlorosis sexum corripit muliebrem, quod jam inde apparet, quod morbus eo maxime tempore oritur, quo excoluntur muliebria genitalia, quorum perfectionem impedit atque vexat. Sed sunt etiam viri docti, qui viros ab ea correptos se conspexisse tradunt. Cujusmodi exempli narrant Cabanis, Chambon, Desormeux, Tanquerel des Planches, quos ipsi observarunt. Qui utrum revera chlorosin

observarint, an non aliud fortasse vitium sanguinis chlorosi propinquum, non audemus discernere. Hoc quidem certum est, multo saepius mulieres ea tentari et perquam raro viros ea implicari. Mihi quidem ipsi dabatur occasio adolescentem sedecim annos natum in valetudinario Berolinensi (Charité) observandi, qui omnia chlorosis symptomata accurate expressa praebebat, ita ut alia atque chlorosis diagnosis in eo fieri non posset.

NOSOGRAPHIA.

Quibus praemissis jam quam accuratissimam hujus morbi imaginem tentabimus exprimere.

Pubertatis enim tempore, menstruatione notatae, quae plerumque puellarum anno decimo quarto peracto apparet, puellas autem sive robustas et valentes sive in regionibus meridianis viventes prius etiam aggreditur, initium capit hic morbus. Ac stadium quidem prodromorum per hebdomades, immo menses manet, priusquam morbus revera nascitur. Primum quidem symptoma, quod apertissime expressum apparet, depressio quaedam est nervorum; puellae enim, hilari antea et laeto animo, moestae subito ac tristes fiunt; sine ulla causa interdum lacrymas fundunt: amicas relinquunt, solitudinem quaerunt; saepissime gemitus eas edere audimus; cum morosae sint, facile excitantur; praesertim autem segnities quaedam eas occupat, quae omnibus gestibus motibusque perspicue exprimitur atque paulatim usque eo augetur, ut omnium fere corporis motuum non potentes fiant.

Jam magis magisque genarum evanescit rubor atque flavus galvanusque color prodit: palpebrae tument in modum oedematis, oculi recedunt in orbitam sub-

caeruleis circumdati orbibus. Sclerotica etiam flavo colore induitur atque livescit; nec minus labra amittunt hilarem ruborem, gingiva pallescit, cutis omnino videtur sicca, pallida, membranae similis, frigida tactu imploranti. Effluit denique propter hydraemiam magis magisque crescentem humor quidem serosus in telam cellularem; paullatim exsistit oedema in pedibus, quod primo articulorum regionem occupat, brevi autem usque ad femora proficiscitur, transit tum ad manus et superiores extremitates, denique in universum anasarca vertitur. Quae quidem externa est imago, quam puella antea florens atque vigens praebet; sed non minus valida symptomata sunt internorum organorum; nos autem primo agamus de mutatione organorum digestionis, tum circulationis, tum respirationis, tum genitalium, tum denique de mutatione, qua afficitur nervorum systema. Quae mutationes internorum organorum plerumque externa chlorosis imagine perfecta apparent. Quo facto appetitus remittitur, quem quidem in initio aegrotationis usque ad bulimiam auctam observarunt; digestio magis magisque deminuitur; aegrotae sentiunt compressionem molestam atque interdum vehementem in scrobiculo cordis; regio gastrica tumescit; cibis etiam consumptis putidus atque acerbus ructus, dyspepsia exsistit, qui vomitum tandem efficit; venter vastius tumet; flatus quam maxime odiosi accedunt; dejectio faecium impeditur, interdum tamen etiam profusior fit, plerumque autem videmus diarrhoeam atque obstipationem mutatas. Mirum est praeterea, saepissime res concupiscere alias despectas, quarum gravidis etiam est libido.

Chloroticas enim puellas saepius videmus cretam,

lapides fissiles, argillam, carbones, humum, scarabaeos, vermes, araneas, alias multas res miras edentes, quae nihil fere iis afferunt detrimenti; amant etiam valde acres cibos et potiones, sal, nitrum, acetum. Attamen magis in dies deficit appetitus cibi, ita ut prorsus negligant cibos; tunc autem conditio est maxime dubia. Lingua tum concreto albo atque pituitoso inducitur.

Oesophago jam procedente aegrotae vehementes saepe nervosos dolores sentiunt, qui radiant usque ad humeros; cujusmodi aegrotas neuralgiis affectas Colombat praecipue et Mende observaverunt.

Plerumque oritur simul vehemens catarrhus gastricus; quae quidem nota est gravissima, quod tum usus ferri, praecipui ac paene dixerim unici remedii chlorosis, multas habet cautiones. Quae omnia symptomata saepissime non nascuntur e chlorosi, sed pendent a primaria quadam affectione apparatus digestionis; saepe etiam sunt nil nisi complicationes chlorosis; immo interdum est observatum, affectionibus illis primariis digestionis chlorosin usque eo latentem exortam esse. Urina tum est pallida et exiguo pondere specifico, interdum etiam propter leucorrhoeam multum pituitae continet. Ac parvum pondus specificum certo, ut equidem puto, explicandum est e parva corpusculorum sanguinis permutatione; mutatio etiam principii musculorum est levissima; paullum tantum O consumitur, ideoque haud magnus nascitur color; omnino paullum $\overset{+}{U}$ apparet. Color quidem pallidus, urohaematino deminuto, exsistit, quod sine dubio eam ob rem non potest oriri; nam urohaematinum ex haematino nascitur, ut omnes colorum materias inde exsistere verisimile est.

Jam respirationis difficultates augentur plerumque aegrotatione jam diutius progressa usque eo, ut aegrotis magnum afferre possint et dolorum et periculum. Spiritus tum est angustior et gravior; atque aegrotae saepius suspirant spiritumque hauriunt, in quo manum solent pectori admovere.

Omni porro, quam minimo labore, ambulando, etiam in via plana, exanimantur saepe aegrotae, ut longo demum tempore interposito corpora possint movere. Quae respirationis difficultates postea observantur asthmatis in speciem; dyspnoea jam prodit, quae post minimum laborem, atque in paroxysmis solet apparere; comitantur etiam interdum ejusmodi insultum vertigo et tremor oculorum.

Saepius videmus etiam, chloroticas puellas tussi esse affectas, quae, ut jure licet suspicari, initium tuberculosis significat, sive hereditate acceptae, sive ex aegrotationibus chlorosin secutis natae. Quo facto pulmones maxima diligentia sunt inspicendi, porro accuratissime perscrutemur urinam, $CaO_1C_2O_3$ quaerentes, quam praecipue tuberculosis primum symptoma esse constat.

Jam quod attinet ad mutationes systematis sanguinis et vasorum, illae quidem sunt diversissimae. Sanguinem ipsum si inquirimus, deminutionem cellularum quantitativam cognoscimus, rubrorum igitur et alborum sanguinis corpusculorum; albuminum, id est fibrinum et globulinum, justum invenitur, rarius etiam auctum. Serum autem est auctum et aquae simile, quamobrem conditionem illam „plethoram serosam“ dixerunt: vena secta profluit sanguis aquatilis et pallidus, placentamque sanguineam efficit modo parvam haud constantem

atque brevi diffluentem.

Ubi cor, quo instigante movetur sanguis, auscultaveris, vehementissime illud thoracem pulsare senties; interdum etiam paullo dislocatum est cor, sed ea dislocatio haud magnum affert detrimentum.

Qui cordis labor, gravissima aegrotationis nota, tantam vim adipiscitur, ut primo aspectu animadvertatur. Nec circumscripta tum palpitatio, in sexto intercosto, inter lineam mammillarem et parasternalem sentitur, sed diffusa ejus dilatatio, elevatio partis illius parietis thoracis. Stethoscopio regioni cordis apposito, flantes fremitus audimus, quos dixerunt fremitus cordis anaemicos. Ipsis in arteriis carotidibus, quae vehementer pulsant, auditur fremitus ille, a Bouillaud nominatus „le bruit de diable.“ Similes autem fremitus in venis etiam, maxime in venis jugularibus, stethoscopio pectori admoto audiuntur. Cujusmodi fremitus medici nominaverunt „Nonnengeräusche.“ Pulsus autem in arteriae radialis difficile comprimendus, frequens, mollis, latus invenitur, aut maxima animi attentione adhibita vix sentitur, praesertim quum non modo hydraemia, sed anaemia etiam subsit.

Quae perturbationes si in organis circulationis aliquamdiu adsunt, facillime vitia cordis nascuntur; saepissime dilatatio et hypertrophia ventriculorum cum morbis inde secutis inveniuntur.

Jam vero de partibus genitalibus agamus, e quibus morbus ille periculosus praecipue pendet et quibus maturescentibus maxime solet exsistere.

Quae quum creberrime vehementi leucorrhoca sint affectae, tamen leucorrhoea omnino deesse etiam potest, id quod saepius accidit. Prae omnibus autem in men-

struationem animum attendere debemus, quod maxime menstruationis inaequabilitates morbi causam afferunt. Menstruatione illa, quae primum apparet tempore, quo puellae pubertatem ingrediuntur, purgatur corpus vitioso sanguine, a medicis nominato „menstruationis sanguine“, ex utero per vaginam quoque mense ejecto. Quae quidem purgatio ad naturam accommodata nisi una cum pubertate et frequens apparet et facilis et unoquoque mense iterata, menstruationis illae inaequabilitates facillime chlorosin efficiunt. Illae anomaliae si ad chlorosin accedunt, jam non causae sunt habendae, sed symptomata. Atqui sanguis puellae chlorosi affectae mentruatione ejectus aquae similis, fluidus, mucosus est, et in linteis in duas plerumque diffluit partes nec non maculas relinquit, quae madefactae pallidiore sunt colore, quam maculae haematino ut ita dicam, pictae, atque, id quod docuit Virchow noster, reperta pigmentatione sanguinea, colores variant. Jam quod complures medici contenderunt, mulieres chloroticcs vehementiore coëundi cupiditate flagrare, ita ut febris quasi amatoria oriatur, id non prorsus verum esse videtur, quoniam creberrime feminae chlorosi laborantes inveniuntur, quae viros negligunt ac despiciunt.

Jam ad res a nervis profectas transeamus, in quibus affectiones duae, universales et locales, sunt distinguendae. Atque affectiones quidem locales saepissime in nervi trigemini regione sedem habent. Rami autem mandibularis affectiones crebro gravissimos dentium dolores efficiunt, si vero primus nervi quinti ramus est affectus, vehementissimam cephalaeam nervosam unilateralem invenimus, nervo contra occipitali tentato

acerrimi dolores occipitis exsistunt. Multo tamen graviores sunt affectiones universales, quae unde oriantur, haud bene scimus. Quae ad totum nervorum systema pertinentes magnam totius corporis afferunt astheniam et debilitatem, ita ut aegrotae perpetuo somno opprimantur, qui somniis inquietis et pavore pectus percellentibus interrumpitur. Qno fit, ut aegrotae non recreatae corroborataeque, sed majore etiam lassitudine confectae expergiscantur. Animus porro est saepe tam irritabilis, ut spasmi oriantur, maxime quum maerores et indignationes accesserint. Nonnunquam contra animi puellarum chlorosi laborantium sine causa sunt tam depressi, tristes, maesti, ut sibi ipsae mortem inferre nonnullae sint conatae. In quo omnes illae res positae sint, quamquam nemo unquam anatomiae peritus nervorum systemate nondum rite aperto ostendit, tamen manifestum est, omnium nervorum depressionem, quae societate quadam naturali cum tota corporis perfectione juncta est, omnium illorum malorum originem et quasi fontem esse.

Breviter hic etiam hysteria commemoranda est, quae et ipsa omnio illa symptomata praebet, quae in iis feminis, quae hysteria et chlorosi simul laborant, eo vehementiora sunt, id quod inter omnes medicos constat.

Morbi igitur imagine cum symptomatibus et complicationibus jam descripta nonnulla de morbi exitu et de feminarum chlorosi mortuarum obductione addere liceat.

Virgo chlorotica morbi gradum, de quo supra jam diximus, persecuta nisi medico sananda statim traditur, tam celeriter morbus crescit, ut cutis aegrotae

mox fiat subviridis, lurida, cadaverosa, panniculus adiposus, si omnino adest, paullatim evanescat, musculi atrophiae imaginem praebeant ac postremo diarrhoeae oriantur profusae, quibus vehemens febris una cum exacerbationibus vespertinis accedit. Vita jam desperata recreatur, rubore tantum circumscripto genae inficiuntur, hydrops communis crescit, sacci serosi aqua implentur, denique cum omnibus marasmi symptomatibus mors venit, saepius etiam puellae aegrotae aut tuberculosi aus vitiis cordis organicis intereunt. Si vero aegritudine mature cognita virgo chlorosi affecta medico artis suae perito traditur, res supra descriptae paullatim evanescunt, ut mox oculorum splendor redeat, labra et genae pristinum ruborem denuo accipiant, appetitus crescat, digestio fiat melior, defatigatio decedat, faeces bene dejiciantur, cordis palpitatio deficiat, pulsus naturaliter sit ordinatus, catamenia justo tempore appareant, ut brevi dicam, morbo finito puella ante pallida, tristis, tetrica denuo floreat.

AUTOPSIA.

Feminarum chlorosi mortuarum cum obductiones jam permulta docuerunt, tum praecipue, quae vasis systemate continentur, laesiones praebent. Lieutaud quidem, medicus Francogallicus, narrat, se nonnulla feminarum chlorosi mortuarum cadavera omnino fere exsanguia vidisse, alii autem fluidum serosum maxime in pericardio, in utroque cavo pleurae et in peritonaeo invenerunt. Praeterea in cerebro feminarum chloroticarum, quarum exitus repente fiebat lethalis, liquorum aliquantum aderat. Alia autem organa, uti lien et hepar, plerumque creverunt; renes interdum

corrugati sunt, unde morbum Brightii subfuisse verisimile est. Musculi sunt pallidi et macerati, tela subcellularis est infiltrata, in pulmonibus crebro inveniuntur vel indurationes vel tubercula et jam cavernae, cor plerumque liquido et ejaculato sanguine impletum aut dilatatum aut compressum est. Quod denique ad partes genitales attinet, eae nondum satis sunt maturae, uteri latera sunt dura, uterus ipse nimis parvus, orificium uteri externum et internum saepissime coaluit, uteri collum et vagina tactu cartilaginosa et dura sunt, interdum etiam, maxime si diu leucorrhoea aderat, erosiones et exulcerationes inveniuntur, ovaria aut hypertrophica sunt aut, quod plerumque accidit, atrophica, nisi fortasse praeter hydropem communem adest hydrops ovarii.

PATHOGENESIS.

Veterrimorum medicorum tres sunt sententiae, unde chlorosis oriatur. Alii enim morbi naturam in adynamia quadam et apparatus digestionis et haemificationis, alii in partium genitalium asthenia, alii in incipiente partium genitalium maturitate positam esse voluerunt. Quarum omnium sententiarum ea, secundum quam chlorosis ex incipiente neque perfecta maturitate partium genitalium maxime puellarum originem ducit, nostro tempore omnibus fere probata est. Ea autem, quae sequuntur ex aliis sententiis, vel morbos spectant inde sequentes vel complicationes chlorosin comitantes.

Virchow quidem, praeceptor mihi quam maxime reverendus, qui recentissimas de anatomia pathologica et pathologia generali sententias examinavit,

statuit, chlorosin mutationem quandam quantitativam sanguinis cellularum esse, neque vero talem, qua, veluti in leucaemia, rubra corpuscula minnantur, alba augeantur, verum potius talem, qua utraque corpuscula multum minuantur, serum autem augeatur. Virchow igitur noster primus leucaemiam, hydraemiam, leucocythosin, chlorosin certo distinxit. Quae distinctiones quales sint, in iis, quae sequuntur, explicare mihi liceat.

Quum feminarum leucaemia tentatarum corpuscula sanguinis rubra albis quodammodo excipiuntur, ut minime partes sanguinis cellulares minuantur, in chloroticis contra et rubrorum sanguinis corpusculorum et alborum elementa pro rata ratione minuuntur.

Leucaemiae igitur natura multo est simplicior, quoniam partes cellulares non minuuntur, cellulae autem passim non plene formantur neque perfectae completaeque evadunt. Jure enim meritoque putant, puella leucaemia vexata alborum sanguinis corpusculorum permulta, quae alioquin rubra forent, colore carere.

Si quis chlorosis pathogenesin perspicere voluerit, congenitalis quaedam sive opportunitas sive dispositio erit agnoscenda, etiamsi morbus pubertatis demum tempore enascatur; quod elucet e sectione adulescentularum, quarum cor, aorta, totum arteriarum systema, systema sexuale haud bene erant perfecta.

Et revera agnoscenda est dispositio quaedam, quam etsi Virchow omnino sanari non posse dicat, tamen aegrota bene curata, maxime diaeta levis et firmae materiae adhibita, latentem reddi concedit. Quoniam quae veteres de chlorosis natura senserunt, nostro tempore obsoleta sunt et improbata, jam nihil amplius de iis addam.

AETIOLOGIA.

Inter momenta aetiologica imprimis duo ista, causae praedisponentes atque occasionales, afferenda sunt, quibus omnia alia momenta aetiologica ab autoribus in medium prolata fere continentur. Ac primum quidem de causis praedisponentibus agamus. Supra jam puellas pubertatis tempore, ubi menstruare coeperunt, chlorosi tentari dixi. Itaque eam nominare licet primam causam praedisponentem, maxime quum sit vere gravissima. Pubertate enim puellarum organismus aliquantum commutatur, quod tum e vegetatione, tum e nervorum systemate turbatis elucet. Attamen haud solae puellae adulescentulae tempore pubertatis chlorosi vexantur. Praeter alia exempla, etsi rara, illud solum affero, quod in Kaltschmidtii dissertatione anno 1782. conscripta legitur, quippe ubi commemoratur viduam quandam triginta annorum chlorosi laborasse.

Alia causa praedisponens nominari posset, quod praecipue feminae chlorosi tentari solitae sunt, quamquam nonnulli viros quoque, ut jam supra dictum est, omnia chlorosis symptomata praebuisse narrant, quod fieri non potest, nisi priusquam pueri pubertatem ingressi sint. Itaque cum Dangeau et Fouquier, virum annos quinquaginta natum omnibus chlorosis symptomatibus oppressum, ferri praeparatis esse sanatum narrent, equidem non tam chlorosin, quam anaemiam una cum complicationibus subfuisse censeo.

Tanquerel des Planches etiam pictorem, juvenem unius et viginti annorum, chloroticum vult fuisse, qui propter venenatas materias permultas, maxime plumbum, quibus pictores utuntur, intoxicatione saturnina

laborasse videtur, quae de colore integumenti communis similia praebet symptomata atque chlorosis. Ad eas, quas commemoravi, causas praedisponentes accedit, quod parentes perperam saepissime educant filiam, qua de re plura dicere supersedeo.

Denique commemorandum est, etiam amorem infortunatum et alias animi affectiones, quales sunt tristitia, depressio, sollicitudo, zelotypia, praedispositioni chlorosis favere.

Jam, uti est propositum, ad causas occasionales, quae frequentiores et varii generis sunt, transeamus, in quo Virchowii nostri sententia prae ceteris commemoranda est, secundum quam chlorosis tanquam dispositio congenitalis non sanari quidem, sed diaeta levis ac firmae materiae adhibita latens reddi potest. Quae Virchowii sententia mihi quidem rectissima esse videtur.

Mutationes quidem, quibus animus ad depressionem deducitur, quando e dispositione aperta exsistunt, facillime chlorosin efficiunt, quae nominantur causae occasionales.

Inter praecipuas autem chlorosis causas catarrhus gastro-intestinalis habendus est, sive is perfrictione ortus, sive nimio ciborum et potionum usu, sive aliis causis exstitit. Atqui potionum spirituosarum abusus facillime chlorosin efficit.

Guilelmus Grimm, ut exemplum afferam, puellas duodecim circiter annos natas atque potionibus spirituosis uti consuetas chlorosi, fluore albo, hysteria, ejusmodi morbis laborasse narrat. Idem vetat, ne quis nimia fruatur coffea aut thea, utpote quo facillime chlorosis nascatur. Puellae porro, motu parumper praeditae, creberrime fiunt chloroticae. Tum etiam peri-

culum est, ne chlorosis oriatur, puellae si somno nimio deditae sint.

E contrario autem puellae, quae somno neglecto ea animo et mente recolunt, quae per diem in libris legerunt, facillime chlorosi opprimuntur.

Saltatio denique, qua puellae plerumque cum juvenibus menti earum blandientibus versantur, puellis est periculosissimum.

Quemadmodum catarrhus gastro-intestinalis, ut supra exposui, saepe chlorosis causa et initium est, ita etiam saepe ex ea catarrhus gastro-intestinalis, imprimis si quis materiis chemicis multum operetur, facillime oritur. Nam et materiae chemicae et aceti usus tela mucosa combusta gastritidem efficiunt. Quod cum et hominibus medicinae imperitis sit notum, tamen feminae saepissime, ut facies earum a colore puellarum rusticarum sanarum differat, aceto utuntur, unde primum oritur gastritis, quae sanatur quidem, sed chlorosis periculosae et longinquae causa fit.

Jam venimus ad onaniam, quam corporis sanitati periculosissimam esse inter omnes constat. Cui vitio quando puellae adolescentulae sese dedunt, in periculum incurrunt, ne chlorosi opprimantur, unde sequitur plerumque tuberculosis.

Aliae praeterea aegrotationes, quibus oritur chlorosis, sunt scrophulosis, blennorrhoea tractus intestinalis et partium genitalium, helminthiasis. Praecipue autem huc sunt adnumerandae menstruationis inaequabilitates. De quibus Ayre dicit: „Si tempore pubertatis chronicae hepatis perturbationes, in regione igitur venae portarum, puellas corripiunt, quibus impediuntur, quin menstruent, chlorosis nascitur.“

Quibus menstruationis anomaliis menses aut omnino exstinguuntur (amenorrhoea) aut magnis cum doloribus profluunt iique maxime parci (dysmenorrhoea) aut valde frequentes sunt, et magnam vim sanguinis emittunt (menstruatio nimia).

Ad quae vitia facillime chlorosis accedit secundaria, attamen etiam vitia ista eam sequuntur, unde facile universa cachexia oritur. Nec minus hoc loco commemoranda sunt vitia partium genitalium mulieris, nam indurationes etiam ovariorum, scirrhus, atresia vaginae et uteri chlorosin efficiunt; quo facto secundaria fit chlorosis. Autenrieth deinde exemplum tradit chlorosis sublata scabie ortae, et W. Grimm narrat, chlorosin aliquando morbillis recedentibus apparuisse; post typhum etiam saepius eam observasse se dicunt alii. Quod si pro certo est habendum, sumendum etiam est, chlorosin vel exanthemata acuta sequi vel regressis illis prodire.

Priore quidem tempore, cum medici omni vasorum irritationi, minimae febri venaesectione mederi solerent, saepe chlorosis puellis medici vi afferebatur.

In nonnullis regionibus chlorosis endemica esse videtur. Etenim Heyfelder et Balzer, medici Hohenzollern-Sigmaringenses, narrant, morbum in regione eorum modo endemico exsistere, tenerasque et robustas virgines aeque aggredi, cujus rei exceptionem raram esse habendam. Blosfeldius etiam refert, Rigae chlorosin endemicam versari. Quapropter sane regiones quaedam ad efficiendum atque augendum hunc morbum prae ceteris idoneae esse videntur.

Jam quum gravissimas et summas causas, quae

latentem chlorosin vel tollunt vel efficiunt, commemoravi, priusquam de diagnosi et prognosi agam, pauca de medicorum priorum distinctione dicere mihi liceat. Nostro enim tempore non tam de distinctione quadam loquimur, quam de causis, a quibus pendet hic morbus, quas therapia nisi depellere possumus, levare tamen studemus. Sauvages dividebat chlorosin in veram et spuriam; spuriam tamen falso sic dixit, quum nil sit, nisi symptoma aliorum morborum; notat quidem cachexiam expressam, nihil autem ei commune est cum cachexia nisi pallor; quamobrem fortasse ab Hornio chlorosis spuria symptomatica est dicta.

Chlorosis, graves atque communes morbos secuta, jure pro secundaria habetur, quae contraria est chlorosi primariae, quam supra descripsimus; cujus distinctionis autores praecipue Behrends et Sundelin sunt. Distinctio maxime idonea mihi quidem ea videtur, quam Schmalzius protulit, qui duo cholorosis genera statuit. Ac alterum quidem genus est chlorosis torpida, quae praecipue feminas imbecillas, remissis fibrillis instructas, pubertate parum provectas solet corripere; quae notatur cadaveroso pallore, algore cutis, magna debilitate, frequentibus fluoribus, hydropi universo, aliis. Alterum genus, chlorosis erethistica feminas plerumque succo plenas aggreditur, astrictis fibris notaturque sensibilitate aucta, congestionibus, volante calore pallorem excipiente, doloribus capitis, vertigine, pulsu incomposito, febribus, magna cordis palpitatione, forti in arteriis carotidibus pulsu, aliis. Quod quidem chlorosis genus facile transit in lentas febres et tuberculosin. Attamen in universum omnes illae distinctiones imperfectae ideo-

que supervacaneae sunt. Medicus quidem aegrotas tractans id semper spectare debebit, e quibus causis morbus ortus sit, quibus perspectis remedia idonea adhibebit.

DIAGNOSIS.

Attamen interdum haud facile est, certam diagnosin statuere. Brevibus igitur liceat mihi exponere, quomodo facienda sit accurata diagnosis. Optime quidem nos via non directa progredi ego arbitror. Quamquam enim chlorosis cum aliis morbis haud facile mutatur, fieri tamen potest, ut cum symptomatibus aliorum vitiorum confundatur. Ac praeter alia anaemia est commemoranda, quae saepissime chlorosi confundebatur: Andral quidem utramque eundem esse morbum putabat. Signa quidem pathognomonica inter alia utriusque morbi sunt: pallor cutis, labrorum, conjunctivae et telarum mucosarum conspicuarum, magne totius organismi debilitas, imbecillitas animi et virium, catarrhi gastro-intestinales, tumores oedematosi, et eaedem res, quae auscultatione sunt perspectae.

Ab anaemia quidem chlorosis eo sejungitur, primum quod chlorosis multo lentior atque tardior est, cum anaemia plerumque, multo sanguine effuso soleat apparere, deinde quod maxime sexum muliebrem eumque tempore pubertatis solet agredi, cum anaemia utrique sexui atque omni aetati communis sit. Chlorosis notatur etiam perturbationibus quibusdam nervorum, quae cum anaemia non cohaerent.

Certissimum praeterea discrimen analysis sanguinis nobis praebet chemica. In sanguine enim puellarum chlorosi affectarum partes cellulares ideoque rubra et

alba sanguinis corpusculorum quantitative deminuta, serum autem sanguinis auctum invenimus, unde morbus plethorae serosae nomen duxit.

Contra in anaemicis non solum partes cellulares, sed etiam serum sanguinis, ideoque massa tota sanguinea, sanguis omnino, quem nostris oculis videmus, deminuuntur.

Qua de causa vasa fere vacua et exsanguia sunt, quum vasa chloroticarum mediocri sanguine turgescant. Quae quum ita sint, permutationem chlorosis atque anaemiae fieri vix posse equidem arbitror.

Neque magis tumor ille oedematosus talorum atque omnino extremitatum inferiorum, qui symptoma chlorosis est, cum anasarca confundi potest. Namque ejusmodi tumores oedematosi in chlorosi per breve temporis spatium, immo per nonnullos interdum dies evanescunt, anasarca autem causis sublatis abit. Cachexia tantum magnopere progressa, etiam in chlorosi anasarca exoritur, quod symptoma chlorosis habemus. Illud etiam discrimen est notandum, tumorem chlorosis oedematosum digito pressum nunquam depressionem retinere, quae in anasarca quidem semper remanet. Multo minus chlorosis cum ictero potest confundi, in quo quidem color epidermidis et scleroticae multo est flavior; id quoque saepius fit, ut color gilvus oculis obversetur, quod in chlorosi nunquam est observatum. Nec minus urina et faecium ejectionibus certis hac in re ducibus utimur; porro absunt ab ictero et nervorum affectiones et eae res, quae observatae vasorum systemate praebentur; nunquam enim ictero correptos sive palpitationibus cordis, sive vehementi arteriarum carotidum pulsu angi videmus. Auscultando etiam cer-

tissima habebis discrimina, utrum chlorosi tentata sit aegrota, an ictero.

Multo autem difficilius est, chlorosin ab organicis cordis vitiis et magnorum arteriarum truncorum discernere: cujusmodi cordis vitia eadem saepissime symptomata praebent, quae chlorosis. Invenimus enim etiam haec vitia in angina pectoris, palpitatione cordis, arteriis carotidibus vehementer micantibus, in pulsu non constante, fremitu enormi, insigni pallore, corpore macie tenuato, virium defectione minimo labore effecta, in doloribus capitis frequenter redeuntibus, vertigine, aurium susurru, extremitatum intumescentia, alliis. Quorum therapia cum longe alia sit atque therapia chlorosis, diagnosin falsam pessimum facile posse habere eventum patet. Accuratissime igitur omnes causae sunt ponderandae, et aetatis et sexus et temporis morbi praecedentis diligentissime ratio est habenda; diagnosis omnino, ut brevi dicam, caute considerateque et omnibus pensitatis facienda est. Quo facto therapiam probatoriam instituemus, ferrum aliaque medicamenta tonica morbo proponemus; quibus praeceptis accurate, quomodo morbus se habeat, erit observandum. Sin intelligimus, falsam esse factam diagnosin, alia therapia est incipienda. Qua in re praecipue nobis in chloroticis laesa cutis functio observanda est, quae in aegrotis vitio cordis organico correptis saepius aucta est. Praeterea labra puellae chloroticae pallida, aegrotorum autem corde laborantium livida sunt. Denique etiam genae cordis vitio affectarum rubore indutae et quasi tumefactae sunt.

Item cum stomacace chlorosis haud facile confundi

potest, quamquam etiam stomacace progressa magna accedit anaemia; attamen stomacaces notae tam expressae sunt, ut facile agnoscantur. Gingivam enim solutam et leviter cruentatam, ecchymoses, petechias cutis totius corporis numquam in chlorosi reperimus.

Jam supersunt cachexiae quaedam vexationes, quae externis quidem notis imaginem praebent chlorosi similem. Sed etiam hac in re anamnesis, aetiologia, habitus aegroti ipsius facile nos docebit, quae diagnosis sit statuenda. Cujusmodi confusiones tuberculosae maxime et carcinomatosae affectiones afferunt; quibus in vitiis, si jam colore cutis in errorem ducimur, quae in universum apparent, multo majori sunt et vi et periculo. Praeterea in diagnosi tuberculosis facienda eodem modo etiam auscultatione et percussione ducimur, ut in carcinosi dignoscenda infiltratione glandularum lymphaticarum. Quibus omnibus accurate perspectis et pensitatis in diagnosi chlorosis facienda haud facile errabimus.

PROGNOSIS.

Prognosis chlorosis in universum prospera est habenda, si justo tempore periti medici acedit cura. Quo quidem non arcessito, si in cachexiam jam progressam transiit, sive a medico non cognoscitur ideoque falso tractatur, sive morbi causae tolli non possunt, prognosis facillime pessima fit, immo lethalem exitum morbus habet. Ante omnia in prognosi quaeritur, num causae tolli possint; itaque medicus cautus sit providusque in prognosi prospera facienda, neque omnino certam prognosin faciat, priusquam et naturam morbi et causas accurate perspexerit atque certissime

sibi persuasum habeat, causas therapia remotum iri. Nec minus adversa est prognosis chlorosis onania adductae, quum difficillimum sit, impedire aegrotas, quominus amplius exerceant hoc vitium; quae si solae atque ab aliis amotae sunt, omnibus medici hortationibus neglectis denuo vitio se dedunt. Quapropter ejusmodi aegrotae accurate sunt observandae neque celeriter de iis secunda prognosis est facienda.

Chlorosi autem animi depressionibus, amore praesertim neglecto et simultate arcessita, hac quidem conditione tum demum secunda fieri potest prognosis, si hae causae remotae sunt. Quae, quod saepissime accidit, nisi tolli possunt, fieri non potest, quin adversa sit prognosis. Ratio etiam est habenda in prognosi facienda complicationum, quibuscum conjuncta prodit; quae complicationes si idoneae therapiae cesserint, secunda erit prognossis. Sin remanent, si chlorosis conjuncta est cum scrophulosi, rhachitide, organicis cordis vitiis, hydropicis abdominis et thoracis fluoribus, cum fluoribus etiam saccorum serosorum, quae sunt pericardium, peritonaeum, cum morbis praeterea succos consumentibus, aequo modo prognosis est improspera. Maxime autem adversa est prognosis, si chlorosis feminam tuberculosi affectam aggreditur, vel procedente illa tuberculosis accedit.

THERAPIA.

Haud raro in puellis chlorosis latebit, a cognatis accurata prophylaxi adhibita; quae prophylactica sanandi ratio eo maximo efficitur, si puellae a matribus quam diligentissime educantur; puellae enim aetate pubertatis multum se moveant necesse est; cavendum

est, ne tempus terant in conclavi sedentes, ne viri eas adeant; maxime autem saltatione iis interdicendum est; nec minus id est spectandum, ne fabulas Romanenses legant, theatra frequentent, aliaque ejusmodi faciant. Contra sunt impellendae, ut res utiles curent, quotidie ambulent, vestem induant tempori anni aptam, cibis fruantur facilibus concoctu et in quibus multum est alimenti.

Potus autem spirituosi atque excitantes omni ratione sunt vitandi, acerbissimo enim quasi veneno imbuunt organismum florentem.

Mater liberos educatura si fecerit, quod praescripsimus, virgines habebit corporis vigore omni ornatas; sin regulas supra commemoratas non sequetur, chlorosis orta puellarum organismum, medicorum auxilio haud mature adhibito, celeriter delebit, unde periculum in mora.

Therapia chlorosis triplex est, quippe vel in indicatione causali, vel in indicatione morbi, vel in indicatione symptomatica consistit.

Ac primum quidem de indicatione causali agamus, ubi, quibus e causis chlorosis sit orta, cognoscere prae omnibus medium oportet, tum causas nisi sanare, tamen mitigare, ita ut primum aegrotam puellam alium mittat in locum, si fieri poterit, et rusticum et calidum.

Paludes autem amnesque sunt vitandi, quorum miasma facillime, quominus aegrota convalescat, impediet. Praeterea aegrotam cibum capere est necesse levis materiae, uti carnem vitulinam, gallinaceam, columbinam, oxyzam, medullam cycae aliasque ejusmodi res.

Deinde pro coffea bibenda sunt aut lac aut potio e cacaone cocta aut cerevisia maxime amara, aut vi-

num rubrum aqua mixtum. Tum parentum erit impedire, quominus filia nimis dormitet, praesertim in lecto molli. Chlorosi aetate pubertate orta quotidie et mane et primo vespere virgo est lavanda, totumque ejus corpus liquoribus aromaticis perungendum. Quodsi aut animi maeror et tristitia aut amor neglectus aut aliae ejusmodi res chlorosin effecerint, puella aegrota in balnea, qualia sunt Pyrmonti, Spaae, Vichyi est mittenda, ubi animus tristis facillime liberetur maerore, ut chlorosis celeriter cedat. Sin vero aut onania aut coitus ante tempus factus causae sunt aegritudinis, partes genitales frigida aqua laventur et medicamento tonico-excitantia adhibeantur.

Jam quod secundo ad indicationes morbi attinet, eae quidem medicum et sanguinem purgare et haemificationem maturare jubent, nervos debilitatos corroborare, quod jam facillimum est factu, quum materia medica optima nobis praebeat medicamenta, uti tonica, amara, nonnulla excitantia, ferri praeparata. Omnium autem, quae commemoravimus, medicamentorum, aegroti si laborant sanguine, ferrum jure meritoque optimum est habendum. Contraindicatio non statuenda est, nisi aut digestionis organa laesa sint, aut tela mucosa gastrica vehementer sit inflammata. Tum medicus digestionem in pristinum statum reducat, et gastritidem sublevet et repellat. Quo facto prae omnibus ferri praeparatis utatur.

Remedia autem, quae efficiunt, ut stomachus cibos bene concoquat, inter alia sunt radix gentianae, cortex et lignum quassiae, cascarilla, calamus aromaticus. Ex excitantibus maxime sunt adhibenda radix

valerianae, cortex cinnamomi. Attamen haec remedia excitantia, quando puella aegrota est ad iram prona, non nisi animo irritabili sive infusis melissae sive menthae crispae domito adhibeantur. Quodsi aegrota remediis acidis propter stomachi sensibilitatem bene uti non poterit, prae ceteris ei praebendum est opium in infuso aromatico. Quo facto medicamenta tonica et amara, denique digestione corroborata, ferri praeparata adhibeantur. Ac primum ferro puro utamur pulverato, quod in pharmacopoea borussica sive limatura Martis, sive ferri nominatur, cujus Gr. i—iv pro dosi bis vel quater pro die aut pulveris aut pillularum forma sumantur. Majorem etiam usum ferrum illud praebet, si vino solutum bibatur. Alia, quae idem efficiunt, ferri praeparata sunt ferrum oxydatum fuscum et ferrum hydricum, quo pristini medici secretionem retentam et catamenia effici putabant, unde nomen croci Martis aperitivi accepit (Gr. iij—x bis vel quater quotidie).

Praeter ea autem, quae commemoravimus, medicamenta etiam ferrum carbonicum commendatur. Tum est commemorandum ferrum jodatum et bijodatum, praesertim quando puella scrophulosa chlorosi correpta est.

Extractum illud pomatum, praecipue tinctura ferri pomata saepissime et libenter a medicis praescribitur; cui tincturae multi medici optimo jure tincturam Chinae compositam addunt; sin obstipatio semper adest, praeterea tinctura rhei vinosa addenda est. At sine dubio clementissimum ferri praeparatum est ferrum lacteum, quo imprimis Frerichs noster utitur.

℞. Ferr. lact.
Pulv. rad. Chin. ana 3i.
Extr. Gent. q. sat. ut. f. pil. Nr. 120.
DS. quater quotidie tres pilulas.

Sin et chlorosi et vehementi catarrho bronchiali laborat puella, ad hunc sanandum ammonio muriatico ferruginoso utamur (Gr. iij — x bis vel quater quotidie, in mixtura.)

Simulac nervorum systema est affectum, ita ut spasmi saepius inveniantur, spiritus aethereus Hofmanni, (tinctura tonico-nervina Bestuscheffii.) ordinatur a multis medicis (gutt. X — L bis vel quater quotitdie.)

Praeterea propter celebritatem hic adhuc afferendae sunt „Mixtura Griffinthii“ et „Pilulae Blaudii.“

Atque haec de intestina corporis curatione dicta sint. Jam quod ad externam curationem attinet, prae omnibus totum corpus lavetur aquis aromaticis, in quibus commendanda aqua Coloniensis, spiritus rosmarini, spiritus formicarum, balsamus vitae Hofmanni. Deinde balneae adstringentes adhibeantur, quales sunt balneae corticis salicis et quercus. Aestate autem aegrotae aut frigida aqua laventur, si fieri poterit, aquis marinis, aut balneis utantur Pyrmonti et Dryburgii. Sed quando puella ab amatore neglecta et chlorosi affecta est, sanari ea non poterit, nisi ab amatore in matrimonium ducatur. Tum demum medicorum medicamenta usum praebent. Qua de re aptissime dicit Hippocrates: „Equidem virginibus suadeo, quibus tale quid accidit, ut citissime cum viris amatis conjungantur; si enim conceperint, sanae evadunt.“

Tertia denique indicatio, quae symptomatica est,

symptomata praecipue et complicationes, quae chlorosin comitantur, studet removere. Atque in gravissimis symptomatibus est habendum, si alvus est adstricta; quod vitium si diutius perstat, cathartica medicamenta sunt praescribenda, velut gummi guttae, jalappa, rheum; clysma etiam apte adhibebitur; gastricae graves complicationes quando adsunt, eas solvere tentemus; in quo praesertim si nausea et vomitus inclinatio adest, optime emeticis utemur, aptissime ipecacuanha. Contra diarrhoeam profusam narcotica proposuerim, ad secretiones tractus intestinalis minuendas aquam laurocerasi, aquam amygdalarum amararum, opium. Uti vehemens enteritis tollatur, adhibebuntur pituitosa maxime medicamenta, decoctum saleb, decoctum radicis althaeae, calida etiam cataplasmata ventri applicentur. Diarrhoeam autem e cruditatibus ortam cathartica medicamenta, rheum praecipue et magnesia sulphurica, removebunt; ubi tractus respiratorius gravi catharrho oppressus est, expectorantibus apte utemur, velut ammonio muriatico, decocto radicis senegae; fluorem album tollent balsamus copaivae, cubebae, injectiones solutionum adstringentium, acidi tannici, plumbi acetici, argenti nitrici. Si timendum est, ne mensibus profusioribus anaemia accedat, elixirium acidum Halleri praecipiatur.

Jam aliis syptomatibus gravibus et complicationibus, velut cordis vitiis, tuberculosi, organicis uteri vitiis, hydropi communi, praetermissis tantummodo pauca adhuc de cura morbi consecutiva addere nobis liceat. Etenim si therapia supra exposita chlorosis cessit, nondum omnino sanata est; latens potius est reddita; quae ut latens maneat, medico omnis cura adhibenda

est. In quo id praecipue debet spectare, ut omnes causas, quibus chlorosis erat effecta, ab aegrota arceat. Sed therapia etiam aliquamdiu est continuanda, ferro praecipue adhibito, ut sanguinis massa melior reddatur. Porro corpus frigidis praesertim lavationibus et balneis durandum erit. Fieri si potest, etiam aegrota in ferro atque aquis marinis adhibendis pergat; diaeta semper facilis concoctu, eademque bona sit et multum alimenti contineat. Qua cura per longius tempus continuata itemque noxiis rebus a corpore arcitis, aegrota prorsus sanata evadet.

VITA.

Natus sum Henricus Augustus Ludovicus Mahrholz die XII. Aug. a. MDCCCXLI Wernigerodae, patre Ludovico, matre Charlotta e gente Basse, quos parentes dilectissimos ut per longum tempus mihi servet, quotidie Deum Optimum Maximum precor. Fidem sequor evangelicam.

Primis litterarum elementis in lyceo Wernigerodensi imbutus, gymnasium Halberstadiense sub auspiciis Cel. Th. Schmidt quam maxime florens septem per annos frequentavi. Testimonium maturitatis nactus a. h. s. LXIII ab Ill. Mitscherlich, decano spectatissimo, inter cives universitatis Friderico-Guilelmae, atque post unum semestre ab Ill. Jüngken, decano spectatissimo, inter cives academiae medico-chirurgicae receptus sum, ibique per septem semestria Ill. Grimm directore, Cel. Elsholtz subdirectore hisce interfui scholis:

Philosophicis: Ill. Schultz-Schultzenstein de botanice; Ill. Dove de physice; Beat. H. Rose de chemia anorganica; Ill. G. Rose de mineralogia; Beat. Schaum de zoologia; Cel. Werder de logice, de psychologia; Exp. Sonnenschein de chemia organica, de forensi, de pharmacia;

Medicis: Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia et methodologia medica, de pathologia et therapia generali; Cel. Lieberkuehn de osteologia et syndesmologia, de anatomia organorum sensuum; Ill. Reichert de anatomia speciali, de cerebrali, de anatomia comparata, de histologia, de embryologia, de physiologia generationis; Ill. du Bois-Reymond de physiologia, de diffusione; Cel. Troschel de fracturis et luxationibus; Cel. de Lauer de semiotice, de theraphia generali; Cel. Boehm de morbis dentium, de ophthalmologia, de aciurgia; Cel. Schoeller de arte obstetricia; Ill. C. G. Mitscherlich de materia medica, de medicamentis excitantibus; Cel. Liman de medicina forensi; Ill. Virchow de anatomia pathologica, de pathologia generali; Ill. Hirsch de historia medicinae, de morbis endemiis et epidemiis, de pathologia et therapia speciali; Ill. Juengken de chirurgia, de corporis humani laesionibus; Cel. Elsholtz de delectu tironum, de morbis simulatis ac dissimulatis; Exp. Burchardt de morbis syphiliticis, de morbis cutaneis.

In exercitationibus practicis duces mihi fuerunt: Cel. Boehm in operationibus chirurgicis et ophthalmiatricis; Ill. Reichert in arte cadavera secandi et microscopio utendi; Cel. Schoeller in operationibus obstetriciis; Exp. J. Meyer in arte auscultandi et percutiendi; Cel. Troschel in fasciis applicandis; Cel. Liman et Cel. Skrzeczka in medicina forensi.

Clinicis interfui medicis Ill. Frerichs, Cel. Traube; chirurgicis Ill. Juengken, Ill. de Langenbeck; ophthalmiatricis Cel. Boehm, Ill. Juengken, Ill. de Graefe; obstetriciis Cel. Schoeller; syphiliticis Exp. Lewin.

Quibus viris omnibus de me optime meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Quae tali modo medicinae studio didici, ea etiam adhibendi aestate praeterita bello inter Borussos et Austriacos orto occasio opportunissima mihi oblata est, jussu enim regio

cum exercitu nostro contra hostes profectus et munere medici militaris functus sum.

Jam tentaminibus et physico et medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis spero fore, ut hac dissertatione thesibusque adjectis publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Punctio vesicae urinariae prorsus est rejicienda.
2. Syphilis non aevo medio est orta, sed jam longo tempore ante exstitit.
3. Ferrum candens est optimum tumorum haemorrhoidalium remedium.